

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Christophori Cellarii Compendium Antiquitatum  
Romanorum**

**Cellarius, Christoph**

**Halae Magdeburgicae, 1774**

**VD18 10161015**


Lib. IX. De Vestimentis Romanorum.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-17085**

*Tuscul. quest. lib. II. cap. 17. & pro Sexto cap. XXXVII. vbi occurrit ferrum recipere. Tales formulæ etiam erant: hoc habet; aut simpliciter, habet: item loco motus est: item componere paria. Vide quæ ad Prudent. psych. v. LIII. notauimus & ad CICERONIS lib. II. epist. 8. num. I.*

§. XIII.

Tam inueteratus hic mos tam in vrbe, quam in prouinciis fuit, vt ægre a christianis etiam imperatoribus tolli potuerit. Vide PRUDENTIVM in *Symmachum lib. II. v. IIII3. seq.*



LIB. IX.

DE VESTIMENTIS ROMANORVM. d)

SECT. I.

DE VESTIBVS VIRORVM, IN VRBE VSITATIS.

CAP. I.

DE TOGA.

§. I.

**I**N Romanorum vestibus præcipua & propria erat illa exterior, quæ *toga* vocabatur, vnde Romani absolute *togati* dicti apud LIVIVM  
 li 2 lib.

d) De vestibus veterum Romanorum commentati sunt: LAZARVS BAYFIVS *de re vestiaria*, qui primus in hoc



lib. III. cap. 52. & PRUDENTIUM *cathem.* II. v. 39.  
 & *gens togata*, apud VIRGILIUM *Aen. lib. III. v. 286.*  
 Descriptionem præbet PERSII *scholiastes* vetus ad  
*satyr. V. v. 14: toga est purum pallium, forma ro-*  
*tunda & fusiore, atque inundante sinu: de sub-*  
*dextro veniens, super humerum sinistrum ponitur. e)*  
 §. II.

hoc argumento post renatas litteras versatus est, ideo-  
 que saepe errauit: OCTAVIUS FERRARIUS *lib. VII.*  
*de re vestiaria: ALBERTVS RUBENIUS libris II. de*  
*re vestiaria, ex relictis doctissimi huius viri schedis &*  
*disperfis plagulis a IOH. GEORG. GRÆVIO compo-*  
*tis, in hanc formam, uti nunc ii sunt, redactis, & se-*  
*paratim Antwerpiae MDCLXV. & postea tom. VI.*  
*thes. ant. Rom. editis. RUBENIO sese opposuit FER-*  
*RARIUS in analectis de re vestiaria, siue exercitationi-*  
*bus ad Rubenii commentar. de re vestiar. & lato clauo,*  
*quippe qui, ut GRÆVII utar verbis, indignabatur, in*  
*hanc messem, quam omnem sui iuris esse, sibi persuaserat,*  
*alium immisisse falcem, qui plus se videre postularet in*  
*hoc argumento, quod exhausisse se, quum in eo tot anno-*  
*rum, aut potius vitæ spatium consumsisset, in animum in-*  
*duxerat. Quamuis autem non negandum sit, Rube-*  
*nium non in omnibus argumenti huius capitibus re-*  
*cte sensisse; fateri tamen omnes debent, Ferrarium er-*  
*ga Rubenii manes iusto iniquiorem se gessisse, multa-*  
*que sine omni causa ac ratione in Rubeniano opere*  
*reprehendisse. ISAAC. CASAVBONVS & CLAVD.*  
*SALMASIUS itidem de re vestiaria veterum se com-*  
*mentaturos esse professi sunt, sed eorum, quæ moliti*  
*sunt, opera lucem non viderunt.*

e) Eius veram formam describit HIERONYMVS BOS-  
 SIVS *de toga Romana, Ticini MDCXIV. & Amst.*  
*MDCLXXI. OCTAV. FERRARIUS de modo gestandi*  
*togam, VALERIUS ANDREAS de toga & sago, AL-*  
 DVS



## §. II.

Varius togæ vsus ad varios habitus gestusque. Brachium vtrumque tegebat ; dextrum tamen exserebatur sæpius , quando opus fuit , viris maxime, non primo togæ anno, quo modestiæ causa non licebat dextrum brachium exserere. CICERO *pro Cælio cap. V: nobis quidem olim annus erat vnus ad cohibendum brachium toga constitutus.* Et HORATIUS *lib. I. epist. 6. v. 51.* dicit illud :

- - - *trans pondera dextram  
Porrigere.*

## §. III.

Sinum etiam faciebant ex toga a dextra in  
Ii 3 fini-

DVS MANVTIVS *diff. de toga Rom.* RVBENII, FERRARII, LAURENTII aliorumque haud mentionem facio. Erat toga rotunda & clausa, ita vt, simulac iniiciebatur, totum corpus inuolueret, quemadmodum ex nummis & statua togata apud ALB. RVBENIVM *lib. I. elect. cap. 17.* & OCTAV. FERRARIVM *lib. I. de re vestiar. cap. 6.* adparet. Sinus in toga vnus tantum fuit, ex plicis illis togæ compositus, quæ per dextrum humerum & latus sub baltheo & umbone recurrebant in sinistrum. In hunc capita demittere poterant Romani, si aliis non videntibus ridere volebant. Condebantur etiam varia in isto, vt poma, apophoreta, aliaque: conf. IO. GEORG. GRÆVIVM *pref. ad tom. VI. rhes. ant. Rom.* & CLAVD. SALMASIVM *not. ad Terrulian. de pallio, p. 379.* FERRARIUS *de re vestiar. part. I. lib. 1. cap. 6.* errat, quando duplicem sinum togam habuisse statuit, alterum inferiorem, alterum vero superiorem, falsa loci QVINCTILIANI interpretatione ad hanc sententiam perductus. A diuitibus laxiores, a pauperibus & frugalioribus angustæ togæ gestabantur.



sinistram collecta. TIBULLVS *lib. I. eleg. 7.*  
v. 46:

*Effluit effuso cui toga laxa sinu.*

Laxa enim toga erat, sed ex luxu laxior. CICERO  
*Catil. II. cap. 10.* luxum in vestitu Catilinariis ob-  
iiciens, vocat *velis amictos, non togis*. Usus etiam  
& inflexio varia huius vestis ex cinctu Gabino  
constat. De quo VIRGILIUS *Aeneid. lib. VII.*  
v. 612:

*Ipse quirinali trabea cinctuque Gabino.*

Vbi SERVIVM videas, & quæ nos ex illo ad PRV-  
DENTII *Romanum v. 1015.*

## CAP. II.

## DE MATERIA TOGÆ.

## §. I.

MATERIA togæ lana erat, vt ex PLINIO *lib.*  
*VIII. cap. 27.* constat, quod etiam MARTIA-  
LIS variis locis indicat, *lib. II. epist. 43. lib. IV.*  
*epist. 28. lib. VIII. epist. 28.* vbi togam dicit *lotam*  
*Galeso flumine*, ad quem præstantiores erant oues &  
lana delicatior. Effluit ille in sinum Tarentinum.

## §. II.

Plebeiorum autem toga ex viliori lana erat. Co-  
lor natiuus lanæ. f) Festis diebus toga recens a ful-  
lone

f) Color togarum erat albus; quod nonnulli ea ex ratio-  
ne negant, quoniam candidati dicantur albas gessisse  
togas, vt eo habitu sese a reliquis distinguerent, &  
quoniam scriptores referant, in diebus festis ac sol-  
lemnibus.



lone g) erat, ideoque candidior. Vnde HORATI-  
VS lib. II. satyr. 2. v. 60:

*Ille repotia, natales, aliosue dierum  
Festos albatu celebrat.*

li 4

Cre-

lemnibus Romanos albatos incessisse, ex quo colligi  
posse sibi persuadent, Romanorum togas quotidianas  
& ordinarias istum colorem non habuisse. Sed errant,  
vt facile ostendi potest. Primum enim candidatorum  
vestis *candida* dicitur, quoniam arte color is factus, nec  
naturalis erat, ideoque magis splendebat, quam reli-  
quorum alba toga. Deinde Romani feriis albatu ea de  
caussa incessisse dicuntur, quoniam iis diebus togas al-  
bas per diuturnum vsu fordibus adspersas, purga-  
re & dealbare solebant.

g) Fullones vestimenta fordida lauare, polire ac dealbare  
solebant: vide LAVR. FIGNORIVM *de seruis* p. 176.  
& in primis CHRIST. SCHOETTGENIVM *in antiqui-  
tatis fulloniae*, quæ eius *antiquitatibus triturae*, Trai.  
ad Rhen. MDCCXXVII. editis, additæ sunt. Vti vero  
color albus lætitiæ, sic niger tristitiæ signum erat,  
quam & per vestes in luctu significabant Romani. Qui  
togas sordidas gerebant, *pullati* a scriptoribus dicuntur;  
& sese decipiunt, qui existimant, pullatos eos solum  
dici, qui pulli coloris vestibus vsi sint. Ex hoc lucem  
accipit SVETONIVS, quando de Augusto eius *vit.*  
*cap. XL.* refert, eum studuisse, habitum vestitumque  
pristinum reducere & indignatum esse, quum pro con-  
cione *pullatorum* animaduernerit turbam. Nam Au-  
gusti ævo Romani a pristino cultu & honesto habitu  
recedere, in publicum cum solis tunicis prodire,  
pænulam pro toga gestare, & si togam retinerent, eam  
maxime fordida & obsoleta ducere incipiebant;  
quos prauos mores imperator corrigere tentabat, eos-  
que, qui sordidis incedebant togis, *pullatos* dicebat:  
adde ISAAC. CASAVBONVM *not. ad hunc loc.* p. 192.  
vbi fusius hæc probantur.



Cretata autem toga candidatorum erat, vt supra probatum fuit.

## §. III.

Toga virilis vestis Quiritium, ideo *virilis toga* dicta. PLINIVS *lib. I. epist. 9. num. 2: officio togæ virilis interfui; & lib. X. epist. 117: qui virilem togam sumunt.* Carebant etiam toga pueri & adolescentuli, antequam a prætore togam acciperent virilem, quod vocabant *forum attingere*, item *in forum deduci*, idque fiebat circa XVII. ætatis annum, eaque magna erat lætitia atque sollemnitas. h) CICERO *lib. V. epist. 8. num. 6: vt primum forum attigerim*, ad quem locum legas, quæ ex SVETONIO adlegauimus, indeque intelliges, quid PLINIO sit: *officio virilis togæ interesse.* Toga utebantur Romani foras prodeuntes, atque ita quasi forensis vestis erat. Nihilominus etiam in sollemnioribus ac publicis conuiujs utebantur toga; sed submissa, vt loquitur SPARTIANVS in *vita Hadriani cap. XXII.* Alias in conuiujs singulares vestes habebant, quas *senatorias & syntheses* vocabant, de quibus infra.

## CAP. III.

## DE TOGARVM DIFFERENTIA.

## §. I.

RATIONE dignitatis personarum toga etiam fuit distincta varie. De vulgari iam diximus. Honora-

h) Lege HENR. DODWELLVM *prælect. Cambden. p. 375. seq.*



noratiores habebant aliquod additum pro ornatu, etiam procerum filii. Hinc est, quod legimus de toga picta, i) palmata, purpurea, prætexta, puerili.

li 5

§. II.

i) Iam antiquissimis temporibus vestes, quibus versus ac tituli imaginesque variæ inscriptæ fuerunt, in usu existisse, HOMERVS, HERODOTVS aliique docent. Etiam Romani morem hunc receperunt, ac figuras quasdam vestibus intexuerunt, quemadmodum hæc verba GRATIANI ad Ausonium grat. act. p. 245. testantur, quum trabeam mitteret: *palmatam tibi misi, in qua Constantius parens noster intextus est*, cui SIDONIVS *carm. XV. v. 125.* aliique adiungendi sunt. Ad eiusmodi vestimentorum genera & toga picta veterum Romanorum triumphantium pertinet, quæ a Tarquinio Prisco Romam delata fuit, ac ex purpura primum constitit: deinde ei & aurum, quo purpura distingui solebat, est additum, quemadmodum ex FESTO, PLINIO *lib. IX. cap. 36.* PLVTARCHO *vit. Aemil. p. 273.* LIVIO *lib. XIV. cap. 49.* constat. De vestibus eiusmodi pictis, textis ac varia litterarum figura ornatissimis videndi sunt: FERRARIUS *analect. cap. XXIX.* NICOLAI *de sigl. vet. cap. XXXVIII.* ALB. RVBENIVS *de re vestiar. lib. I. cap. 10.* IO. CIAMPINVS *vet. monument. part. I. cap. 13.* IO. HARDVINVS *not. ad Plinium lib. XIII. cap. II.* IOS. MAR. SVARESIVS *libr. singulari de vestibus litteratis:* PETR. ZORNIVS *bibliogr. antiqu. exeget. p. 1108.* IO. SAUBERTVS *de sacrificiis cap. IX. p. 176.* aliique plures a FABRICIO, ZORNIO, PITISCO cet. memorati.

Præter hæc togarum genera notandæ sunt: 1) *toga pulla*, quæ atrii erat coloris & a lugentibus gestari solebat; 2) *toga sordida*, siue maculis & sordibus obducta, quæ reorum habitus fuit; 3) *toga pexa*, quæ villosa ac densa, & ad frigoris iniuriam a corpore ar-

cen-



## §. II.

Picta toga & palmata & purpurea eadem erat, videlicet triumphantium, aut triumphali honore ornatorum. LIVIVS lib. XXX. cap. 15. regi Masinissæ dicit inter alia munera a Scipione oblatam *togam pictam & tunicam palmatam*, & lib. XXXI. cap. 11. *toga purpurea & palmata tunica*. Quam superiori loco *pictam* vocauerat, nunc dicit *purpuream*. Confirmat FESTVS in voce *picta*: *picta*, inquit, *toga*, *quæ nunc dicitur*, *purpurea ante vocitata est*, *eaque erat sine pictura*. IUVENALIS sat. X. v. 33:

*pictæ Sarrana ferentem*  
*Ex humeris aulea toga,*

## §. III.

*Palmata* autem dicebatur eadem, quia palmæ erant intextæ, vt ad AVSONII *panegyricum cap. V.* exposuimus. Eiusmodi togæ meminit MARTIALIS lib. VII. *epigr. 1.* *Prætexta toga* erat magistratum, consulum, prætorum, cetera. LIVIVS lib. XXXIV. cap. 7: *purpura viri utemur, prætextati in magistratibus, in sacerdotiis*. De prætexta sacerdotii auguratus CICERO *Phil. II. cap. 43*: *cur non sumus prætextati,*

CAP.

cendam facta fuit; 4) *toga pinguis*, ex crassioribus filis compacta; 5) *toga pura*, cui nulla purpura prætexta erat; 6) *toga vitrea*, quæ instar vitri erat pellucida ex tenuissimis filis confecta; 7) *toga recta*, quæ ita dicta est, vel quoniam fila a summa ad infimam vestis partem defluebant, nec transversa ducta erant, vel quoniam ea non cingebatur, sed recta demittebatur. Infima pars togæ *lacinia* adpellabatur.



CAP. IV.

DE PRÆTEXTA PVERILI. k)

**D**ENIQUE prætexta erat puerilis, eademque toga dicta, quia formam & ornatum togæ habebat. LIVIUS lib. XXXIV. cap. 7: *liberi nostri prætextis purpura togis utentur.* GELLIUS lib. XVIII. cap. 4. Confer, quæ notauimus ad *Catil. II. p. 181.* CICERO inde *Catilinaria II. cap. 2.* dicit: *in prætexta amare cœperat.* Et tales pueri ac adolescentuli dicebantur *prætextati.* Vid. PLINIUM lib. IV. *epist. 13. num. 3.*

CAP. V.

DE TRABEA.

**T**RABEA quoque splendidior cultus erat, de quo VIRGILIUS lib. VII. *Aeneid. v. 612:*  
*Ipse quirinali trabea cinctuque Gabino*  
*Insignis.*

Fuit instar prætextæ. SVETONIUS in deperdito libro apud *Seruium* ad dictum locum *Virgiliti* tria tra-

k) Prætexta toga fuit, cui limbus, circa extremam huius vestis partem ductus, ex purpura additus fuit. Ea utebantur ædiles, censores, consules, dictatores, prætores, duumviri; tribuni plebis, quamuis hoc alii sine causa negent; puellæ, donec matrimonium inibant; pueri ad annum ætatis fere septimum & decimum; sacerdotum præcipui, ut pontifices, augures, quindecimviri sacris faciundis, & fatii; magistratus tam in municipiis, quam coloniis, ac senatores diebus, quibus ludæ edebantur. Consulas LAZAR. BAYFLUM *de re vestiar. cap. X.* ALB. RVBENIUM *de re vest. lib. I. cap. I.* & OCTAV. FERRARIUM *part. I. lib. II. cap. I.*



trabearum genera ponit : primum *purpureum*, diis sacratum ; deinde *regium*, quod erat purpureum immixto albo ; tertium *augurale* de purpura & cocco. 1)

## CAP. VI.

## DE ABOLLA.

**A**BOLLA est FESTO militaris vestis, aut NONIO potius, qui Varronis locum producit. *Abolla*, inquit, *vestis militaris*. VARRO *περι φθογῶς κόπυς*, *toga detracta est*, & *abolla data ad turbam*, *ubi sera militia munera belli ut prestarent*. MARTIALIS *lib. VIII. epigr. 48* :

*Nescit, cui dederit Tyriam Crispinus abollam,*  
*Dum mutat cultus induiturque togam.*

Vnde vides, diuersam a toga fuisse. Hanc volunt duplicatam fuisse & robustiorem, quod SERVIVS tradit ad *Aeneid. lib. V. v. 421*. vbi poeta duplicem amictum, ex humeris pendentem, memorat.

## CAP. VII.

## DE LÆNA.

**L**ÆNA m) per aphæresin scribitur pro *chlæna*.  
Est

1) Trabea, togæ genus, & vestimentum clausum ac rotundum fuit, quod solo purpureo ornatu a toga communi pariter ac prætexta differebat. Paludamentum & chlamys cum trabea non confundi debent. Hæc clausa ; illud vero vestimenti genus apertum fuit : conf. RVBENIVM & FERRARIVM *libris indicatis*, & ALDVM *MANVTIVM de trabea tom. I. thes. ant. Rom. Sallengriani p. 769*.

m) Vestimenti hoc genus antiquissimum, atque, ut HOME-

RVS



Est enim vestis peregrina, a Romanis tamen recepta. VIRGILIUS *Aeneid. lib. IV. v. 262:*

- - - Tyrioque ardebat murice lana  
Demissa ex humeris.

In sacris quoque adhibitam fuisse, testatur CICERO *de claris oratoribus cap. XIV: Marcus Popilius quum consul esset, eodemque tempore sacrificium publicum cum lana faceret, quod erat flamen carmentalis, plebis contra patres concitatione & seditione nuntiata, ut erat lana amictus, ita venit in concionem.*

C A P. VIII.

D E S Y N T H E S I.

**S**ENATORIA vestis, maxime in saturnalibus. n) MARTIALIS *lib. XIV. ineunte, saturnalia descripturus:*

*Synthesibus dum gaudet equus, dominusque senatus.*

Item

rus docet, heroum proprium fuit. Iniiciebatur tunicae, eratque duplicis generis, quum alterum ex simplici, alterum ex duplici filo textum fuit, ad propellendum potissimum frigus. Erat lana quadratae formae; a pallio vero in eo differebat, quod haec fibula in humeris constricta fuerit.

n) Synthesis vestis conuiualis fuit, & pallii fere, vel potius lintae findonis formam habuit, qua se Romani in conuiuio, depositis vestimentis, inuoluere solebant: conf. STVCKIUS *antiquitat. conuiual. lib. I. cap. 33.* & BVLENGERVS *de conuiujs lib. I. cap. 35.* Plura de synthesis GERARD. IO. VOSSIVS *etymol. voc. synthesis:* OCTAV. FERRARIUS *de re vestiar. part. I. lib. I. cap. 30.* & SAM. PITISEVS *not. ad Sueton. p. 834. suppeditant.*



Item vestis quotidiana propter alios vsus varie mutata; vt tamen præcipuus fuerit in cœna. Idem MARTIALIS *lib. V. epigr. 79*:

*Vndecies vna surrexti, Zoile, cœna,  
At mutata tibi est synthesis vndecies.*

## CAP. IX.

## DE LACERNA.

## §. I.

**L**ACERNA proprie erat vestis militaris, quod ex OVIDIO *fastor. lib. II. v. 745.* & PROPERTIO *eleg. III. adparet.* Ciceronis ætate nondum in vrbe gestata: nam *Philipp. II. cap. 30.* Antonio obiicit, quod contra morem lacerna vsus fuerit in vrbe & municipiis. Vide *notas nostras ex GELLIO. o)*

## §. II.

*o)* Adde VELLEIVM PATERCVLVM *lib. II. cap. 70. §. 2. & cap. 80. §. 3.* Per bella triumvirorum ciuilia, quum toga in desuetudinem abire paulatim inciperet, in urbem habitus hic receptus est. Ciceronis tamen temporibus adhuc vestimenti istud genus in vrbe non admodum cognitum, immo probrosum fuisse, ex eius *orat. II. Philipp. cap. 30.* intelligitur. Ex lana crassiore lacernam confectam fuisse, MARTIALIS *lib. II. epigr. 46. v. 2. & lib. VI. epigr. II. v. 7.* docet. Quoniam lacerna ex castris in urbem venit, ea chlamydis fere forma prædita fuisse videtur; ita tamen, vt, quum urbanus fieret habitus & togæ loco sumeretur, latior ac longior chlamyde efficeretur, quæ vestis per ordinem vix ad genua pertingebat. Sæpe togæ, pluuiæ vel frigoris causa, superinduebatur. Lacernæ erant vel nigræ, vel coccinæ, vel alio colore tinctæ: conf. LAZAR. BAYFIVM *de re vestiar. cap. XVI. & OCTAV.*

FER.



§. II.

Post adsumta pluuiarum caussa. *PLINIVS lib. XVIII. cap. 25.* Superiiciebatur pluuiæ caussa ipsi togæ, quod *MARTIALIS* indicat *lib. XIV. epist. 137:*

*Quum tegit algentes alba lacerna togas.*

Intellige in spectaculis. Præter albas erant etiam, uti purpureæ & rufæ lacernæ, ita fuscæ & pullæ. *MARTIALIS lib. XIV. epist. 119:*

*Roma magis fuscis vestitur, Gallia, rufis.*

Et *SVETONIVS Augusto cap. XL:* visa quondam pro concione pullatorum turba, indignabundus & clamitans, en!

*Romanos rerum dominos, gentemque togatam. Negotium ædilibus dedit, ne quem posthac paterentur in foro Romano circoue, nisi positis lacernis, togatum consistere.*

§. III.

Materia erat lana, sed crassa & densa in hibernum usum, leuis & detrita in æstium. Crassæ plerumque erant villosæ ac hircæ, ideoque *gausapina* dictæ. Nam *gausape* villosa vestis & intonsa, de qua *MARTIALIS lib. VI. epigr. 59. & lib. XIV. epigr. 29.* Lacernæ etiam adiectus *cucullus*, siue *cucullio*, capitis tegendi caussa. Accessit abusus, ut nocte laterent, ne cognoscerentur. *HORATIVS lib. II. sat. 7. v. 55:*

*odoratum caput, obscurante lacerna,*

Et

*FERRARIUM part. I. lib. I. cap. I. seq. SVETONIVS vit. Claud. cap. VI. §. 3.* docet, Romanos lacernas ad honoris & reuerentiæ signum deposuisse, aduenientibus principibus ac viris summa dignitate præditis.



Et CAPITOLINVS in *Verō cap. IV.* Dicitur etiam *bardo-cucullus* compositæ & *birrus Gallicus*.

## CAP. X.

## DE PÆNULA. p)

## §. I.

**I**TINERARIUM erat vestimentum. CICERO pro *Milone cap. X.* de Milonis itinere: *quum cum uxore veheretur in rheda pænulatus, vulgi magno impedimento.* Superius ergo vestimentum erat, nivibus, pluviis, aliisque incommodis arcendis idoneum.

## §. II.

Sero in urbem inducta pænula, quod ex *IVVENALIS sat. V. v. 7. & 9.* probari potest. Tempore Alexandri Severi etiam publice id permiffum. *LAMPRIDIVS in vita eius cap. XXVII.* tradit, senatoribus (alii *senibus* legunt) frigoris causa pænulam permiffam in vrbe, additque, *quum id vestimentum semper itinerarium, aut pluvie esset.* Materia pænulæ diuersa; pleraque autem lanea, aut

p) Pænula erat tam ex corio, *scortea* dicta, quam ex lana atque ita facta, vt, perinde ac toga, clausa quidem, ea vero angustior & breuior esset, & vtroque brachio subduceretur. De ea pluribus commentantur: *IO. BAPT. DONIVS de vtraque pænula, tom. VI. thes. ant. Rom. Græuii, p. II49.* *IAC. SPONIVS miscell. erud. antiquitatis p. 313.* *CLAUD. SALMASIVS not. ad Tertull. de pallio p. 80. & not. ad Lampridium tom. I. script. hist. Aug. p. 774. & 925. seq.* *BARTH. BARTHOLINVS de pænula: LAZAR. BAYFIVS de re vestiar. cap. XVI. aliique plures.*



aut gaufapina. Vide MARTIALEM *lib. XIV. epigr. 145.* Erat etiam scorrea: *ibidem epigr. 130.*

## CAP. XI.

## DE TVNICA. q)

## §. I.

**T**VNICA pressa vestis, & corpori adstricta, græce χιτών. Non erat vnica, sed multiplicari poterat, ideoque distincta inter interiorem & exteriorem. Interior vocabatur etiam *subucula*, r) item *interula*. Exterior autem erat,

q) Vide ALD. MANVTIVM *de tunica Romanor. tom. VI. thes. ant. Rom. p. 1203.* CLAVD. SALMASIVM *not. ad Terrull. de pall. p. 71.* OCTAV. FERRARIVM *de re vestiar. part. I. lib. 3. cap. I.* RVBENIVM *lib. II. elect. cap. 20.* SAM. PITISCVM *not. ad Sueton. p. 335. aliosque.*

r) Ea respondēbat nostris *camisis*. Gestabatur sub tunica, quod HORATIVS *lib. I. epist. I. v. 95.* innuit:

*Si forte subucula pexæ*

*Trita subest tunica.*

Antiquo tempore vnica tantum tunica Romani utebantur, vt ex VARRONE apud NONIVM constat; postea vero, quum molliorem & delicatam vitam gerere paulatim adsuescerent, duplicare cœperunt hoc vestimentum, atque a pristina simplicitate, quam vt moribus, sic etiam habitu olim significabant, recedere. Prudentiores tamen & frugaliores semper improbarunt hunc corruptum gentis suæ morem, ac pro signo luxuriosi hominis reputarunt; ex quo verba seruatoris intelligere possumus, discipulos suos *Marc. VI. v. 9.* adhortantis: *μη ἐνδύσασθαι δύο χιτώνας, ne induerentur binis tunicis,* *Cellar. Antiquit.* Kk quo-



erat, cui toga supericiebatur. SVETONIUS in Augusto cap. LXXXII: hieme quaternis cum pingui toga tunicis & subucula thorace laneo muniebatur. De interiore tunica VALERIUS MAXIMUS lib. VII. cap. 4. exempl. 5. in Q. Metello consulatur.

## §. II.

Longæ ac talaes tunicæ virorum in opprobriis erant, quasi mollitiem & effeminatum animum significantes; dictæ HORATIO lib. I. satyr. 2. v. 25. *tunicæ demissæ*. Pariter manicatæ tunicæ, siue manuleatæ improbantur, vt non tantum ex GELLIO lib. VII. cap. 14. constat, verum etiam ex CICERONE *Catilin. II. cap. 10.* vbi in delicatis & luxuriosis Catilinariis notat *manicatas & talaes tunicas*, ad quem locum etiam GELLII verba adscripsimus.

## §. III.

Præstantiorum hominum, id est, senatorum & equitum, tunica clavis purpureis erat distincta, pro senatoribus latis, pro equitibus angustis. Hinc tunica vel laticlauia, siue lati clavi, qua senatores utebantur; vel angusticlauia, seu clavi

an-  
quoniam duarum tunicarum vsus, signum intemperantis ac prodigi hominis esse, eo tempore credebatur: adde IO. AVG. GROEBELIUM de duabus tunicis, in miscellan. Lips. tom. XII. p. 137. vbi ostenditur, quid per *χιτώνας* sit intelligendum, & quæ eius forma apud veteres fuerit. In sola tunica publice incedere, abiectum & inhonestum habebatur apud Romanos: conf. SVETONIUM vit. Aug. cap. XXIV. Fila & flocci dependentes, infimæ tunicarum parti adfutæ, *fimbriæ* nomen habebant, eæque in diuitum vestibus sæpe aureæ erant.



angusti, quam gestabant equites. s) PLINIUS lib. VIII. epist. 23. num. 2: *latum clauum in domo mea induerat*, id est: tunicam lati clavi senatoriam. Adde lib. II. epist. 9. num. 2. HORATIUS lib. I. sat. 6. v. 28:

*latum demisit pectore clauum.*

SVETONIUS in Augusto cap. XCIV: *sumentem virilem togam, tunica lati clavi resuta ex utraque parte ad pedes decidit.* Hic vero puer extra ordinem ab auunculo maiore Iulio Cæsare senatoriam togam acceperat. Angusticlauii (ab angusti clavi tunica ita adpellati) erant equites. VELLEIVS PATERCVLVVS lib. II. cap. 88. de Mæcenate, qui noluit in senatum cooptari: *vixit angusto clauo bene contentus, nec minora consequi potuit, sed non tam concupiuit.*

SECT. II.

DE VESTIBVS MILITARIBVS.

§. I.

VESTES militares erant breuiores agilitatis

Kk 2

tis

s) ALB. RVBENIVS in egregio suo de re vestiaria commentario primus nos veram clauorum in tunicis Romanis formam monstrauit. Fusc enim ibi probauit, clauum non rotundum ad capitis clavi formam, sed oblongum instar lineæ purpureæ fuisse, quæ per totam tunicam a summa ad imam oram extenderetur; tunicam senatoriam vno tantum lato clauo, equestrem vero duobus iisque angustis ornatam esse; senatoriam tunicam inde clauo & purpuræ; equestrem vero clauorum & purpurarum in multitudinis numero habuisse nomen; in veste palmata & purpurea clauum hunc aureum exstitisse; mappas clauatas pari modo factas, ac linea purpurea in ora præditas fuisse.



tis caussa. Nec interiores militum vestes a ceteris erant distinctæ, sed tantummodo exterior, quam generali nomine adpellabant *sagum*, t) quod togæ opponebatur, ut hæc pacis, illud belli signum esset. NONIUS: *sagum*, *vestimentum militare*. Dicitur etiam *sagulum* frequenter diminutivi forma, quia brevius, quam toga erat. VIRGILIUS *Aeneid. lib. VIII. v. 660*:

*Virgatis lucent sagulis.*

& SVETONIUS in *Augusto cap. XXVI*: *centurio princeps legationis reiecto sagulo ostendens gladii capulum*. Hinc dicuntur *sagati* & *sagulati*. CICERO *Philipp. XIV. cap. I*: *cras sagati prodeamus*. SVETONIUS in *Vitellio cap. XI*: *sagulatis comitibus*. Nec in bello tantum & castris sagorum usus erat, sed belli etiam tempore grauioris periculosiorisque in vrbe ciues omnes sagati erant. Vid. *epit. LIVII lib. LXXII*. de Italico bello, quod etiam *Marsicum*, seu *socialis* dicitur: *saga populus sumsit*; & *epit. lib. LXXIII*: *ob eam victoriam Roma saga posita sunt*. u) §. II.

t) *Sagum* apertum & fibula instructum toga brevius, tunica vero paullo longius fuit: CONF. FERRARIUS de *re vestiar. part. II. lib. 13. cap. 8. seq.* Eo utebantur non solum gregales & manipulares milites, sed etiam ipsi centurionum duces, quemadmodum de centurionibus & tribunis ex SVETONIO *vit. Aug. cap. XXVI*. & LIVIO *lib. VII. cap. 34.* liquet. Vestes eiusmodi aperta, ut *sagum* fuit, ne de humeris caderent, fibula negebantur, de cuius figura OCTAVIUM FERRARIUM de *re vestiar. part. II. lib. I. cap. 16.* adeas.

u) Adde hæc VELLEII verba *lib. II. cap. 16. §. 4*: *tam varia atque atrox fortuna Italici belli fuit, ut per biennium*



## §. II.

Paludamentum ducis erat, siue imperatoris vestimentum exterius, qui inde *paludatus* dictus. PLINIUS *lib. XXII. cap. 2.* dixit *imperatoria paludamenta.* LIVIUS *lib. IX. cap. 5.* de consulibus in *fureulis caudinis: paludamenta detracta.* Origo ostenditur a FLORO *lib. I. cap. 5.* qui & *lib. IV. cap. 2.* Iulii Cæsaris paludamentum memorat. CICERO *lib. XV. epist. 17:* *Pansa noster paludatus profectus est.* Græci dicebant *chlamydem*, quæ eadem ac paludamentum, x) UT NONIUS MAR-

Kk 3

CEL-

nium continuum duo Romani consules, Rutilius, ac deinde Cato Porcius, ab hostibus occiderentur, exercitus populi Romani multis in locis funderentur, utque ad *saga* iretur, diuque in eo habitu maneretur. Pro materia eamque præparandi ratione pretium *sagorum* differebat: militum enim *gregalium* & *manipularium* *saga* crassiora ac viliora iis fuerunt, quibus ordinum duces utebantur. A *sago* Romano, Gallicum, Germanicum & Hispanicum secundum formam *paullulum* differebat. Plura edisserit memoratus FERRARIUS *libro laudato.*

x) Multi putant, *sagi* & *chlamydis* nullam fuisse differentiam apud veteres. Sed discrimen satis patet ex TREBELLIO POLLIONE *vit. Claud. cap. XIV. p. 385.* ubi *sago-chlamydis*, siue vestis, cuius forma ex *sagi* & *chlamydis* figura simul composita fuit, fit mentio, ad quem locum SALMASIUS obseruat, *sagum* quadratum, *chlamydem* vero rotundam fuisse. *Sagum* militum, *paludamentum* imperatorum proprium fuit; *chlamys* vero in antiquis ingenii monumentis & militibus & eorum ducibus adscribitur. Satis hoc patet ex veterum testimoniis, quæ apud PITISCVM *lex. ant. Roman.* vocibus *chlamys*, *paludamentum* & *sagum* leguntur: adde LAZA-

RVM



CELLVS obseruauit. Inde CICE RO *pro Rabirio postum. cap. X. chlamydatum* Luc. Sullam imperatorem dixit. Raro autem Latini vtuntur voce *chlamydis*.

SECT. III.  
DE VESTIBVS MVLIERVM.

§. I.

VESTIS mulierum præcipua & propria erat stola & palla. *Stola* ad talos vsque, siue plantas demittebatur, y) multis rugis ac plicis constricta.

HO-

RUMBAYFIVM *de re vestiar. cap. II. & XIV. OCTAV. FERRARIUM de re vestiar. lib. II. cap. 3. seq. & IVST. LIPSIVM de milit. Rom. lib. II. cap. 12.*  
y) *Stola* manicata & talaris fuit plerumque limbis purpureis atque aureis ornata: conf. PHIL. LVD. HANNEKENIVM *de cur. domest. Rom. diff. I. cap. 3. §. 9. p. 40.* Matronæ purpureas stolas gerebant; in luctu vero albæ erant, quamuis id alii de atro colore sibi persuaderent. *Stolam* cingebat *zona*, quapropter ea a MARTIALI *lib. XIV. epigr. 131.* ad muliebria refertur ornamenta. *Stolæ* loco in luctu *ricinium* sumebant, de quo vestimenti genere OCTAV. FERRARIUS *analect. de re vestiar. cap. IX.* CONR. RITTERSHVSIVS *ad leg. XII. tab. class. I. cap. 4. & 10.* KIRCHMANNVS *de funerib. Romanor. lib. II. cap. 17. p. 236. seq.* legendi sunt. Gerebant etiam *amiculum*, quæ vestis fuit superior, teste LIVIO *lib. XXVII. cap. 4. lib. XXXIV. cap. 7.* *Mitra* muliebre capitis tegumentum erat: vid. CLAVD. SALMASIVM *exercit. Plinian. p. 392.* De *calantica*, etiam a mulieribus capiti imposita, ANDR. TIRAQVELLVVS *not. ad Alex. ab Alexandr. lib. V. cap. 18; de reticulis & vittis*, quibus feminæ comam

CO-



HORATIVVS *lib. I. sat. 2. v. 99.* & MARTIALIS  
*lib. III. epigr. 93. v. 4.*

## §. II.

*Palla* superior mulierum vestis dicebatur, stola superaddita & itidem in talos dependens. Vnde etiam *longa* VIRGILIO vocatur *Aeneid. lib. XI. v. 576.* Vide ibidem SERVIVM. A *palla* differt *pallium*, quod virorum erat in Græcia & philosophorum. z)

Kk 4

LIB.

cohibebant, GER. IO. VOSSIUS *etymolog. voc. reticulum*, & LAZAR. BAYFIVS *de re vestiar. cap. XX.* videnti sunt. De *calceamentis* feminarum THOM. DEMPSTERVS *not. ad Rosin. p. 946.* alique plures exponunt. De veste muliebri, quæ *cyclas* dicebatur, CLAVD. SALMASIVS *not. ad Vopiscum, vit. Saturn. cap. IX.* & *ad Tertullianum de pallio p. 110.* consulendus est. Horum vestimentorum materia, ex qua ista constabant, ornatus, color ac modus texturæ maxime differebant. Memorantur enim apud antiquos scriptores vestes linteæ, sericæ, holosericæ, holoueræ, subsericæ, purpureæ, amethystinæ, auro pertextæ, conchyliatæ, floridæ, herbidæ, papaueratæ, pellucidæ, vitreæ, pexæ, plumæ, plumatæ, pelliceæ, foriculatæ, virgatæ, vndulatæ cet.

z) Merito reliqua vestimentorum Romanorum genera, a nostro auctore omissa, addi debent. Pertinent huc:

1) *Caracalla*, quæ lucernæ fere formam habebat & ad talos vsque defluebat. Antoninus Caracalla vestem hanc ex Gallia Romam traduxit, & ex ea cognomen quoque suum obtinuit. Consule CLAVD. SALMASIVM *not. ad Spartianum vit. eius cap. IX.*

2) *Cucullus*, quo tempore pluviæ ac tempestatis caput & tergum obtegi solebat: vide OCTAV. FERRARIUM *de re vestiar. part. II. lib. I. cap. 22.*

3) Co-



3) *Colobium*, siue tunica sine manicis, & lato clauo ornata. Differit de eo CLAVD. SALMASIVS *exercit. Plin.* p. 751. & *not. in Tertull. de pallio* p. 85.

4) *Gausapa*. Vestimentum fuit ex pingui ac densa lana confectum & ex vna parte villosum: conf. OCTAV. FERRARIUM *de re vestiar. part. II. lib. I. cap. 8.*

5) *Endromis*. Villosa fuit vestis, quam post cursum induebant veteres, ne frigus corpori, ex sudore madido, officeret: conf. CLAVD. SALMASIVS *not. ad Tertullian. de pall.* p. 310.

6) *Amphimallum*, quod vestis vtriusque villosa & ad frigus depellendum facta erat: legas LVD. GÆL. RHODIGINVM *lib. XVI. lection. antiqu. cap. II.* Huius generis & *amphitape* erant, quæ dormientibus potissimum supponebantur.

7) *Subarmale* fuit sagulum crassum, quod sub armis ponebatur, ne eorum durities corpori incommodum adferret.

8) *Pallium*, quod peregrina vestis aperta fuit, & quidem ita comparata, vt omnibus reliquis vestimentis iniici eoque totum corpus involui potuerit: conf. OCTAV. FERRARIUM *de re vestiar. part. II. lib. IV. cap. I. 18.* vbi copiose de hoc vestis genere differit, cui CLAVD. SALMASIVS *not. ad Tertullianum de pallio* adiungi potest.

9) *Dalmatica*, quæ tantum a chlamyde differebat, quantum tunica a pallio. Erat manicis & angusto clauo ornata: conferas SALMASIVM memoratis in *Tertullianum de pallio observationibus* p. 85.

10) *Birrus*, qui post togarum usum in consuetudine Romæ fuit, a christianis quoque, iis potissimum, qui sacro ordini adscripti erant, retentus. Plura SALMASIVS *loco indicato* p. 88. dabit.

11) *Thorax*. Fuit vestimenti genus, quod ex ære, ferro, vel corio fiebat, & pectus ad ictus repellendos muniebat. Eo Augustum esse usum, SVETONIVS *vit. eius cap. LXXXII.* testatur.

12) *Pileus*. Is per ordinem ex lana coacta compo-

ne-



nebatur. Forma pileorum Romanorum diuersa erat. Alii rotundi & ad galeæ formam efficti, alii pyramidis fere figura ornat, alii altiores, alii denique depressiores erant. Plerumque Romani nudo capite incedebant; nec pileis utebantur, nisi in sacris, saturnalibus, peregrinationibus ac militia. Præterea adsunt etiam exempla, ægros, senes ac novos libertos in signum libertatis pileum gessisse. De pileo commentatus est singulari libro ANSELMVS SOLERIVS, sub quo ficto nomine THEOPHILVS RAYNAVDVS latet, Lugd. Batav. MDCLV. Amstelod. MDCLXXI. tom. VI. thes. ant. Rom. Græuii p. 1213. vbi & reliqua capitis tegumenta veterum Romanorum percensentur.

13) *Capillamentum*. Erat id capitis tegumentum, ex alienis capillis longioribus confutum: conf. SVETONIVM vit. Calig. cap. XI. PETRONIVM cap. LXX. TERTVLLIANVM de cultu feminarum cap. VII. & ex recentioribus ANSELMVM SOLERIVM de pileo, sect. III. WOWERIVM not. ad Petronii memoratum locum, ADR. IVNIVM de coma cap. VII. & SAM. PITISCVM not. ad Sueton. p. 527. Apud Romanos per ordinem pueri comati, viri vero tonsi erant, quamuis postea & isti, quum in dies delicata ac mollis vita crederet, comam alerent, calamistro intorquerent & in gradus formarent, quemadmodum ex SVETONIO vit. Tiberii, cap. XLVIII. & QVINCTILIANO lib. I. institut. orator. cap. 6. aliisque testimoniis, a CASAVBONO not. ad hunc locum Suetonii collectis, p. 174. videmus, cui IAC. GRASSENSVS in antiquit. Nemaussens. tom. I. thesaur. Sallengriani p. 1078. adiungendus est, vbi de ratione veterum, comam cristandi, disserit. Diuinus legatus Paullus I. epist. ad Corinth. cap. XI. v. 14. sine dubio verbis ὅτι ἀνὴρ μὲν εἰς τὸν νόμον ἀπέμεινεν αὐτῷ εἶναι ad Græcorum opinionem respexit, qua viris, comam alere, turpe habebatur: vid. IAC. PERIZONIVM not. ad Aelian. lib. IX. var. histor. cap. 4. In luctu comam depositam a veteribus fuisse, satis notum est. Omnia, quæ ad antiquitates de coma spectant, nemo diligentius perfe-



quutus est CLAVD. SALMASIO de *cæsarie & coma*, cui  
 ii addi possunt, quos IO. ALB. FABRICIVS *bibliogr.*  
*antiquar. cap. XVIII. §. 6. p. 564.* laudat. De barba  
 veterum Romanorum & de variis istam alendi ac depo-  
 nendi consuetudinibus consulendus est ANTONIVS  
 HOTTOMANNVS *dial. de barba*, qui Antwerpia  
 MDLXXXVI. prodiit & a SAM. PITISCO *tom. I. lex.*  
*ant. Rom. p. 252.* translatus est.

14) *Chirotheca*. Iis Romanos nonnunquam ad ar-  
 cendum frigus vsos esse, PLINIUS *lib. III. epist. 5.* do-  
 cet. Differebant partim *forma*, quum alia digitos  
 omnes exprimerent, inde *digitalia* vel *digitabula* di-  
 ctæ; alia vero sine digitis essent: partim *materia*, quæ  
 lana coacta, texta, sericum cet. erat: conf. IO. NICOLAI  
*libro singulari de chirothecarum usu & abusu*, Gieslæ  
 MDCCI.

15) *Femoralia, tibialia & periscelides*. Braccarum  
 vsus a moribus Græcorum & Romanorum maxime  
 alienus fuit, sed earum loco fasciis, quibus pedes, cru-  
 ra & femora inuoluebant, vsi sunt. Aegroti atque im-  
 becilles primi eiusmodi fascias adhibebant, a quibus  
 postea & ad alios, mollem ac delicatam vitam amantes,  
 transferunt, id quod Ciceronis potissimum æuo factum  
 est. Errant, qui sibi persuadeant, subligaculia ad bracca-  
 rum nostrarum similitudinem accessisse. Ista enim ni-  
 hil aliud, quam pannum fuerunt, quo Iuperci curren-  
 tes, scenici, athletæ cet. pudenda velabant. Vsum  
 ipsum braccarum postea Romani a Gallis braccatis,  
 Germanis, Gothis aliisque populis septentrionalibus  
 didicerunt. Fusc de eiusmodi femoralibus veterum Ro-  
 manorum differit ISAAC, CASAVBONVS *not. ad Suet.*  
*p. 260. seq.*

16) *Calcei*, qui primum ex corio, deinde ex aluta,  
 immo quoque ex linteo conficiebantur. Patriciorum  
 calcei altiores erant, & ad medium fere crus adscende-  
 bant, habebantque quatuor corrigias, siue ligulas. Va-  
 rii coloris eiusmodi erant calcei. *Mullei*, singulare  
 calceorum genus, rubri, coccinei, purpurei & puniceii  
 co-



coloris ac elegantibus figuris ornati plerumque reliquis calceis paullo altiores erant. Alii albi, alii prasini, alii viridis coloris fuerunt. Patriciorum calceis *lurula* adfuta erat, siue nota *numeri centenarii*, quoniam initio centum patricii fuerunt senatores. A calceo *solea* differt. Ille enim totum pedem, hæc plantam tantum tegebat, ac superior eius pars habenis ac loris vinciebatur. Græcorum *sandalia* a Romanorum soleis initio haud diuersa erant; succedente autem tempore Romani sandaliis superius quoddam integumentum addiderunt, idque in eo a calceo Romano diuersum fuit, quod corium calcei longius esset & ad mediam extenderetur tibiam, sandalium vero superiorem tantum plantæ partem tegetet, quemadmodum BALDVINVS, mox excitandus, docet. Quando enim Romanorum sandalia a soleis non diuersa fuissent, quomodo veteres scriptores dicere possent, ea coloribus & auro ornata fuisse, quemadmodum ibidem BALDVINVS probat. De discrimine inter soleas & crepidas auctores dissentiunt. Nonnulli nullum plane admittunt; alii vero soleas a crepidis ita distinguunt, vt illæ simpliciores ac leuiores, hæ vero crassiores fuerint, & alii denique differentiam in eo ponunt, quod soleæ iugum habuerint, siue corium supra digitos pedum, crepidæ vero eo caruerint. *Soccus* corium erat sine ligno & subere, quod superiorem & inferiorem pedis partem tegebat. De caliga & ocrea iam supra actum est. Calcei altiores, ex crudo corio conflati, *perones* dicebantur. Cothurni itidem calcei altiores erant, tragædorum potissimum proprii, quorum statura in illis longior & procerior videbatur. *Cambagus* genus caligarum fuit, ex barbaris gentibus Romanis delatum. Constabat ex solea & loris ac corrigiis, quæ, inter se opere reticulato flexa, ad medium vsque crus pertingebant. *Tzanga* adpellabantur imperatorum posterioris æui pretiosa calceamenta, quibus gemmæ & aureæ figuræ, imprimis aquilæ, intextæ erant. De *phæcasis*, *sicyoniis*, aliisque calceamentorum generibus, a barbaris Romanis deductis, breuitatis causa nihil com-



memoro. Plura de his calceamentorum generibus exhibent: BENEDICTVS BALDVINVS *de calceo antiquo & mystico*: ALB. RVBENIVS *de re vestiar. lib. II. cap. I.* vbi *de calceo senatorio* exponit: SALMASIVS *in excerptis de calceo ex eius commentario ad Tertullianum de pellio*, quæ editioni paullo ante indicati libri Balduini a IOH. FRIDERICO NILANTIO Amstelodam. MDCCXI. emissæ, vna cum NIGRONII libro *de caliga veterum*, & laudata RVBENII *diatrib.* addita sunt: OTTO SPERLINGIVS *de crepidis veterum*, tom. IX. *thes. ant. Græcarum Gronouii*, p. 961. aliique apud IO. ALB. FABRICIVM *bibliogr. antiquar. cap. XVIII. §. IO. p. 574.*

Huc & quodammodo *scabella*, siue *scabilla* referenda sunt; de quibus vero eruditorum sententiæ valde differunt. Fuerunt illa instrumentum musicum, quod pedibus pulsabatur; quomodo autem id confectum fuerit, certe dici haud potest. Plurimi credunt, *scabella* hæc soleas ferreas, aut ligneas fuisse, parte anteriore ita fissa, vt, si pedibus adligata fuerunt, concuti possent, & ex concussione crepitus ac sonitus excitaretur. Ab hac sententia SALMASIVS *not. ad Vopiscum vit. Carin. cap. XIX.* discedit, ac putat, scabellum illam partem instrumenti vocatum fuisse, quæ soleis ferreis ac ligneis, pedi adligatis, tacta fuerit. Figuram eiusmodi scabillorum exhibent ALB. RVBENIVS *de re vestiar. lib. II. cap. 17.* & SAM. PITISCVS *not. ad Sueton. p. 615.* quibus IVL. CÆS. BVLENGERVS *de theatr. lib. II. cap. 19.* VAL. CHIMENTELLIVS *de honor. bisell. cap. XXIX.* DONIVS *diff. de scabillis: IAC. SPONIVS miscell. erud. antiqu. sect. I. tab. 45.* & FRID. ADOLPH. LAMPE *de cymbal. vet. lib. II. cap. 21.* addendi sunt.

His & alia addi possunt, quæ ad caput hoc de vestitu Romanorum referri debent. Pertinet huc:

1) *Zona*, siue cingulum, quo vestes discingere veteres solebant. Iis potissimum puellæ & virgines utebantur, itemque milites, qui ex eiusmodi cingulis gladios suspendebant.

2) *Cru-*



## §. III.

Tum laudatio funebris pro rostris a proximo agnatorum, vel, si deesset ex his, qui tale officium præstare defuncto posset, a clarissimo aliquo ac doctissimo viro habebatur, eaque finita, promotum inde funus extra urbem in eum deducebant locum, ubi vel humandum erat, vel igne comburendum. SVETONIUS in *Cæsare cap. VI. Tiberio cap. VI. PLINIUS lib. II. epist. I. num. 6. & CICERO de legibus lib. II. cap. 23.*

## SECT. II.

## DE COMBUSTIONE. c)

## §. I.

**R**OMANI VE plurimum cremabant mortuos. Pauca enim gentes aut familiae erant, quibus

L12

c) Fiebat elatio funeris ac combustio cadaueris octavo plerumque die post mortem, quum per septem, ut videtur, dies publice ad spectandum in vestibulo domus positum fuisset, ut ostendit IO. KIRCHMANNVS *de funer. Rom. lib. II. cap. I.* ubi tamen recte obseruat, consuetudinem hanc apud Romanos non vniuersè susceptam, sed alios citius, alios tardius elatos fuisse. Antequam funus ad combustionem efferebatur, varii obseruari sunt ritus. Præco voce clara funus indicebat, hisque circiter verbis, L. TITIO EXSEQUIAS IRE, QUIBUS COMMODVM EST, IAM TEMPVS EST, OLLVS EFFERTVR, ad exsequias populum conuocabat ac rogabat, ut magna frequentia adesset. Primis temporibus funera noctu efferebantur, ut ex DONATO ac SERVIO probat IO. KIRCHMANNVS *indicato loco p. III*; hæc vero consuetudo in nobiliorum exsequiis